

non sunt duo supposita, non erit aliqua unio Divinitatis ad carnem.

### QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videretur quod in Christo sint duo individua. Sicut enim dicit Damascenus (Lib. III. de Fide cap. xxi.) Filius Dei assumpsit humanam naturam in atomo, id est individuo. Sed quia natura assumpta est in Christo, dicimus duas naturas. Ergo & dicere possumus in Christo duo individua.

2. Præterea. Omne quod est, aut est universale, aut particulare. Sed humana natura est in Christo. Ergo cum non sit universalis, erit particularis. Sed omne particulare est individuum. Ergo sunt ibi duo individua.

3. Præterea. Secundum Porphyrium individuum facit collectio accidentium. Sed accidentia humanæ naturæ non sunt in persona divina, quæ subjectum accidentis esse non potest. Ergo oportet quod sit ibi aliquid individuum; & sic idem quod prius.

Sed contra. Nihil est aliud persona quam individuum rationalis naturæ. Sed in Christo non possunt esse duæ personæ. Ergo in Christo non sunt duo individua.

### QUÆSTIUNCULA IV.

1. Ulterius. Videretur quod sint ibi duæ res naturæ. Res enim naturæ est quod constituitur per naturam. Sed divina persona non constituitur per humanam naturam. Ergo persona Verbi non est res humanæ naturæ in Christo. Ergo in Christo sunt duæ res naturæ.

2. Præterea. Res naturæ idem videtur esse quod naturale. Sed naturale, ut dicitur II. Physic. (text. IV.) est proprietas causata ex principiis naturæ, vel compositum ex principiis naturalibus. (1) Sed neutrum istorum convenit divinæ personæ. Ergo persona divina non est res naturæ humanæ; & sic idem quod prius.

Sed contra. Res naturæ est completum subsistens in natura. Sed nullum tale est assumptibile, quamvis possit aliud assumi ad ipsum. Ergo si esset in Christo aliqua res naturæ præter divinam personam, non esset assumpta à divina persona, & ita nec unita, & sic non esset in Christo.

### SOLUTIO I.

Respondeo dicendum, quod cum omne particulare habeat respectum ad naturam communem, & ad proprietates, potest secundum utrumque respectum nominari, tum per nomen primæ impositionis, tum per nomen secundæ intentionis. Hoc enim nomen *res naturæ* est nomen primæ impositionis, significans particulare per respectum ad naturam communem; hoc vero nomen *suppositum* est nomen secundæ impositionis, significans ipsam habitudinem particularis ad naturam communem, in quantum subsistit in ea, particulare vero, in quantum exceditur ab ea. Sed quia accidentia consequuntur naturam, ideo omne nomen designans particulare secundum respectum ad proprietates, designat etiam ipsum per respectum ad naturam communem. Hoc ergo potest fieri dupliciter: vel per nomen primæ impositionis; & sic est *hypostasis* communiter in omnibus substantiis; *persona* vero in omnibus rationalibus: vel per nomen secundæ impositionis; & sic est *individuum*, in quantum est indivisum in se, *singularare* vero in quantum est divisum ab aliis: unde *singularare* est idem quod divisum. Est etiam alia differentia attendenda inter ista: quia quoddam istorum significans communiter particulare in quolibet genere, sicut *particulare*, *individuum*, *singularare*; quædam vero tantum particulare in genere substantiæ, sicut *res naturæ*, *suppositum*, *hypostasis*, & *persona*. Quia vero ratio substantiæ est quod per se subsistat, inde est quod nullum istorum dicitur nisi de re completa, per se subsistente: unde non dicuntur neque de parte, neque de accidente, de quibus alia dici possunt, quæ in omnibus generibus inveniuntur: quamvis enim hæc albedo, vel hæc manus dicantur *individuum*, vel *singularare*, non tamen potest dici *hypostasis*, *suppositum*, vel *res naturæ*. Impossibile est autem, si ponantur duo quorum utrumque per se subsistat, quod unum sit alterum; quia secundum hoc quod numerantur, differunt (cum differentia sit causa numeri) & non prædicatur de se invicem, nisi secundum quod unum sunt. Unde cum divina persona sit quiddam per se subsistens, si etiam ponatur compositum ex anima, & carne unum quid completum subsistens, quod est homo: vel hic homo, impossibile est, quod unum prædicetur de altero, ut dicitur: *Filius Dei est hic homo*. Et quia prima opinio hoc ponit, ideo non tenetur modo ab aliquo. Sed secundum hoc quod est compositum tantum ex anima, & carne, non dicitur esse quid subsistens, sed dicitur esse humanam naturam, in qua divina persona subsistit. Et ideo secundum hanc opinionem dicendum est, quod omnia illa nomina quæ significant particulare in quolibet genere, possunt dici esse duo in Christo: sicut enim hæc manus dicitur *individuum*, vel *singularare*, vel *particulare*; ita humana natura in Christo est *individuum singularare*, vel *particulare*. Et cum natura humana non sit divina natura, neque divina persona, nihil prohibet dici in Christo duo individua, vel duo singularia, vel particularia, aut etiam plura secundum numerum partium corporis Christi, quarum quælibet potest dici *individuum*, nisi fiat vis in hoc quod in divinis non proprie inveniuntur huiusmodi nomina. Hæc tamen plura individua de Christo non prædicantur: quia de eo non prædicatur natura humana, neque partes ejus. Non autem contingit dicere in Christo esse duas hypostasises, vel res naturæ, vel supposita: natura enim humana in Christo non est res naturæ, vel suppositum, sed ipsa natura: nulla enim natura composita est res, vel suppositum sui ipsius: similiter non est hypostasis, sed usia. Nihilominus tamen sicut dicimus unionem factam in persona, sic dicimus in hypostasi, supposito, re naturæ, individuo singulari, vel particulari. Quia quamvis hæc ultima tria possint dici de non per se subsistentibus, nihilominus dicuntur etiam de per se subsistentibus: dicimus enim hypostasim esse individuum: unde in quantum est unio facta in hypostasi, est etiam facta in individuo: & sic possumus dicere Christum unum individuum, & tamen in eo duo, vel plura individua, sicut etiam & de quolibet alio homine contingit: & eadem est ratio de singulari, & particulari.

(1) Nicolai: Neutrum autem istorum.

Ad primum ergo dicendum, quod substantia, secundum quod substantia dividitur contra accidens: & similiter dico de natura humana in Christo. Cum igitur dicitur, quod omnis substantia particularis est hypostasis, intelligendum est de illis quæ directe recipiunt prædicationem generis; & hæc sunt quæ significantur ut res completæ per se subsistentes.

Ad secundum dicendum, quod hypostasis Verbi, quamvis non sit in genere substantiæ simpliciter, in quantum est hypostasis Verbi, tamen in quantum est hypostasis humanæ naturæ, est in genere substantiæ, sicut in specie hominis: non enim hypostasis ordinatur ad genus, vel speciem, nisi per naturam quam habet.

Ad tertium dicendum, quod genus quodammodo est pars speciei similis materiæ: unde sicut in natura ex pluribus materiis sufficientibus non ordinatis non fit aliquid unum; ita etiam plura genera non possunt venire ad constitutionem unius speciei. Sed natura hypostasis non est pars: unde non est similis ratio: dicitur enim hypostasis alicujus naturæ, in quantum subsistit in ea.

Ea quæ in contrarium obijciuntur, concedimus. Sciendum tamen est, quod prima opinio quamvis poneret duas hypostasises, non tamen diversas personas posuit: ex hoc enim quod persona est individuum rationalis naturæ, quæ est completissima, & ubi stat tota intentio naturæ, habet quod significet completissimum ultima completionem, post quam non est alia: unde cum poneret hominem assumptum unum Verbo, non dabit ei rationem personæ; dabit ei tamen rationem hypostasis, in quantum erat subsistens: nec tamen ponebat quod homo ille uniretur divinæ personæ in accidente: quia sic non diceret quod prædicaret quid, sed quod esset accidentaliter unum, sicut dicitur tertia opinio; sed ponebat quod persona Verbi erat illa hypostasis; quod tamen non est intelligibile, ut duorum distinctorum unum de altero prædicetur, ut prius dictum est.

### SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod in Christo tantum unum est suppositum ratione jam dicta; nisi dicatur suppositum locutionis: quia sic de quocumque potest fieri sermo est suppositum.

Ad primum autem contra hoc obiectum dicendum, quod quamvis sint ibi duæ naturæ, tamen est unum habens respectum ad duas naturas: & ideo est ibi suppositum unum.

Ad secundum dicendum, quod suppositum non importat suppositionem indignitatis, vel potentialitatis (alias personæ non dicerentur supposita divinæ naturæ) sed solum suppositionem quantum ad communitatem, in quantum natura communis excedit prædicationem suppositum vel actu, vel potentia.

Ad tertium dicendum, quod pars proprie non habet genus, neque speciem: unde non convenit sibi proprie suppositum esse, loquendo simpliciter; nisi forte cum additione, ut dicatur hæc manus suppositum manus; quamvis manus, proprie loquendo, non sit genus, neque species.

### SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod in Christo sunt duo individua, non tamen per se subsistentia; & ipse Christus est unum individuum subsistens, ut dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod Damascenus intendit dicere, quod assumpsit humanam naturam particularem, non autem subsistentem, sed quod in ea divina persona subsistit.

Ad secundum dicendum, quod humana natura est particulare, & individuum; non tamen subsistens.

Ad tertium dicendum, quod quamvis divina natura sit quoddam individuum in Christo, tamen etiam Christus est individuum humanæ naturæ. Nec tamen oportet quod accidentia humanæ naturæ insint divinæ personæ, nisi natura mediante.

Ad id quod in contrarium obijciatur, dicendum, quod in Christo est aliquid individuum, quod non est rationalis naturæ individuum, sed ipsa rationalis natura individua, vel pars ejus, sicut manus Christi.

### SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod in Christo non sunt duæ res naturæ; sed ipse est res una duarum naturarum.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis Verbum non sit constitutum per naturam humanam, ut sit simpliciter, tamen per naturam humanam constituitur quod sit homo.

Ad secundum dicendum, quod res naturæ, per se loquendo, est quod habet naturam; sed quod hoc sit compositum, accidit, in quantum ipsum compositum ex materia, & forma, quæ sunt principia naturæ, non adjungitur alteri subsistenti simplici; si autem alteri subsistenti conjungatur, quod est in se simplex, erit quidem illud simplex ut res subsistens in natura composita, non tamen erit compositum, nisi per modum qui infra dicitur; secundum quem secunda opinio ponit personam Verbi incarnati esse compositam.

### ARTICULUS II.

*Utrum Filius Dei assumpsit hominem.*

III. P. quæst. IV. art. 3. IV. cont. Gent. cap. XLIII. & opusc. I. cap. XX. & XXI.

1. Ad secundum sic proceditur. Videretur quod Filius Dei assumpsit hominem, Psalm. LXIV. 5. *Beatus quem elegisti, & assumpsisti*: & loquitur de Christo homine. Ergo homo es assumptus.

2. Præterea. Si Filius Dei est homo, aut homo quem assumpsit, aut homo quem non assumpsit. Si homo quem non assumpsit, ergo non magis potest dici homo qui est Jesus, quam homo qui est Petrus. Si autem homo quem assumpsit, ergo assumpsit hominem.

3. Præterea. Filius Dei assumpsit animam, & corpus unita: quia corpus non unitum animæ est corpus inanimatum, quod non est assumptibile, ut in II. dist. (quæst. II. art. I.) dictum est. Unio autem illa non est minoris efficacæ in homine Christo quam in aliis hominibus. Sed in aliis hominibus facit non solum humanitatem, sed etiam hominem. Ergo in Christo facit hominem.

4. Præterea. In Christo non est nisi assumens, & assumptum. Sed non habet quod sit homo ex parte assumptis: quia sic ab æterno fuisset homo. Ergo habet ex parte assumpti: ergo homo est assumptus.

5. Præterea. Secundum Damascenum (Lib. III. de Fide orth. cap. VI.) Christus assumpsit quiddam in nostra natura plantavit. Sed id quod unitum est ex

cor-

corpore, & anima, facit hominem, cum sit de naturalibus, quæ Dei Verbum in nostra natura plantavit. Hoc ergo assumpsit; ergo assumpsit hominem: quia posita causa sufficienti ponitur effectus.

Sed contra. Assumens non est assumptum. Sed Deus est homo. Ergo non assumpsit hominem.

Præterea. Si assumpsit hominem, constat quod non assumpsit hominem universalem. Ergo assumpsit hunc hominem. Sed hic homo est persona. Ergo assumpsit personam, quod falsum est: ergo & primum.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod id quod assumitur, secundum intellectum præcedit unionem. Si ergo dicatur homo assumptus, oportet quod intelligatur homo, antequam intelligatur assumptus. Homo autem particularis (quia universalem non assumpsit, cum non habeat esse in rerum natura) est quid subsistens, habens esse completum. Quod autem habet esse completum in quo subsistit, non potest uniri alteri nisi tribus modis: vel accidentaliter, ut tunica homini; & hunc modum unionis ponit tertia opinio: vel per modum aggregationis, sicut lapis lapidi in acervo: vel aliquo accidente, sicut homo uniri Deo per amorem, vel gratiam: & neutra harum est unio simpliciter, sed secundum quid: quarum primam posuit Dioscorus, alteram Nestorius hæretici, ut dicit Damascenus 111. cap. III. Libri. Unde nullo modo concedendum est, quod homo sit assumptus. Sciendum tamen, quod prima opinio nullum prædictorum modorum unionis ponebat, unde non est hæretica; sed ponebat, quod erat facta unio secundum hoc quod persona Verbi incepit esse illa substantia: quod quidem non est intelligibile, ut duorum unum fiat alterum, nisi per conversionem unius ad alterum; immo impossibile est, ut prius dictum est: & ideo non sustinetur.

Ad primum ergo dicendum, quod omnes auctoritates quæ dicunt hominem assumptum, exponi debent, ut ponatur concretum pro abstracto, id est homo pro humana natura.

Ad secundum dicendum, quod Christus est homo, non quem assumpsit, sed cujus humanam naturam assumpsit.

Ad tertium dicendum, quod non est propter inefficaciam unionis animæ ad corpus quod eorum conjunctio, secundum quod præintelligitur unioni ad divinam personam, non facit hominem, sed humanam naturam in Christo; sed est ex hoc quod non fuerunt, ut conjuncta per se subsisterent, sed ut divina persona in eis subsisteret.

Ad quartum dicendum, quod homo significat humanam naturam, & supponit pro supposito subsistente in natura illa: quorum unum est ex parte assumpti, alterum ex parte assumptis.

Ad quintum dicendum, quod hoc quod facit conjunctum ex anima & corpore esse hominem, non est præter animam, & corpus, & unionem, aliquid positive; sed ex hoc ipso quod ipsum compositum ex anima & corpore non adjungitur alteri subsistenti in natura composita, sequitur quod conjunctum sit homo. Unde si Christus humanam naturam quam assumpsit deponeret, ex hoc ipso esset homo illud conjunctum ex duabus substantiis.

## ARTICULUS III.

Utrum homo dicat ibi compositum ex duabus substantiis tantum.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod homo non dicat nisi compositum ex duabus substantiis. Homo enim prædicatur de Christo, & de Petro, & non æquivoce dicitur. Sed cum dicitur de Petro, nihil prædicatur nisi compositum ex duabus naturis, vel substantiis. Ergo & cum dicitur de Christo.

2. Præterea. In symbolo Athanasii dicitur: *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo; ita Deus, & homo unus est Christus.* Sed anima non includit in sua significatione carnem, nec è converso. Ergo nec homo dicit Divinitatem, nec è converso.

3. Præterea. Nihil est in Christo præter tres substantias. Si ergo homo diceret tres substantias, tunc Christus erit tantum homo, quod est falsum.

4. Præterea. Totum non dicitur uniri parti; sed pars toti, vel parti. Si ergo homo diceret tres substantias, videretur quod non posset dici homo uniri Dei Filio.

Sed contra. Homo est habens humanitatem. Sed habens humanitatem est divina persona. Ergo cum humanitate, quæ continet duas substantias, hoc nomen homo, dictum de Christo, dicit etiam divinam personam; & sic dicit tres substantias.

Præterea. Omne prædicatum substantiale continet aliquo modo suum subiectum. Sed hoc nomen homo prædicatur de Filio Dei non accidentaliter. Ergo continet personam Filii Dei; & sic non dicit tantum compositum ex duabus substantiis.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod in quolibet nomine est duo considerare: scilicet id à quo imponitur nomen, quod dicitur qualitas nominis; & id cui imponitur, quod dicitur substantia nominis: & nomen proprie loquendo dicitur significare formam, sive qualitatem, à qua imponitur nomen; dicitur vero supponere pro eo cui imponitur. Prima ergo opinio dicit, quod hoc nomen homo, quantum ad significationem, & quantum ad suppositum, non dicit nisi constitutum ex duabus substantiis: quia hoc constitutum ex duabus substantiis est hypostasis subsistens; pro qua potest fieri suppositio hujus nominis homo. Secunda vero opinio dicit, quod constitutum ex duabus substantiis tantum, non est hypostasis subsistens, sed natura, in qua subsistit Verbum Dei: unde non potest ponere, quod constitutum ex duabus substantiis tantum, sit suppositum, cui nomen imponitur, sed forma à qua imponitur, scilicet humanitas. Illud vero cui nomen imponitur, quod est subsistens in humana natura, est persona Verbi: & ideo hoc nomen homo comprehendit tres substantias: sed duas ex parte significati; tertiam ex parte suppositi.

Ad primum ergo dicendum, quod diversitas suppositionis non facit æquivocationem; sed diversitas significationis.

Ad secundum dicendum, quod Athanasius accipit hominem ex parte naturæ significatæ.

Ad tertium dicendum, quod termini in prædicato positi tenentur formaliter, in subiecto vero materialiter: unde hoc nomen homo supponit suppositum æter-

æternum, quod subsistit in duabus naturis, & tribus substantiis; prædicat vero tantum naturam humanam. Unde si diceretur, quod est tantum homo, excluderetur omnis natura alia ab humana: & propter hoc non conceditur, quod sit homo tantum.

Ad quartum dicendum, quod homo dicitur proprie, & simpliciter unius Filio Dei: quia dicit id quod unum, seu conjungitur, scilicet humanam naturam, quæ est quasi pars in hac unione; & id in quo fit unio, scilicet suppositum unum.

## QUÆSTIO II.

Deinde queritur de his quæ pertinent ad secundam opinionem: & circa hoc queruntur tria.

Primo. Utrum Christus sit unum.

Secundo. Utrum habeat unum esse.

Tertio. Utrum persona Christi post incarnationem fuerit composita.

## ARTICULUS I.

Utrum Christus sit duo neutraliter.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod Christus sit duo neutraliter. Isidorus enim dicit in Lib. de Trinit. (a) *Mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus, quævis aliud sit de Patre, aliud de Virgine, non tamen aliud.* Sed ubicumque est aliud & aliud, ibi sunt duo. Ergo Christus est duo.

2. Præterea. Christus est unum unitate increata, & est unum, unitate creata. Unitas autem creata, non est unitas increata. Ergo Christus est duo.

3. Præterea. Sicut in Trinitate sunt tres personæ in una essentia, ita in Christo sunt duæ naturæ in una persona. Sed propter unitatem naturæ dicuntur Pater, & Filius unum, quamvis non unus. Ergo & propter unitatem personæ Christus debet dici unus, & non unum, sed duo propter dualitatem naturarum.

4. Præterea. Christus secundum quod est Deus, est aliquid quod est Pater, & secundum quod est homo, est aliquid quod est mater. Sed hoc quod est Pater, non est hoc quod est mater. Ergo Christus est aliquid, & aliquid; & ita est duo.

5. Præterea. Christus est aliquid passibile, & aliquid impassibile. Sed passibile non est impassibile. Ergo Christus est aliquid & aliquid. Ergo non est unum.

6. Præterea. Secundum Damascenum (de Fide Lib. III. cap. VII.) Christus totus est ubique, non tamen totum. Sed est ubique secundum quod est Deus. Ergo Christus non est totum Deus; sed est aliquid præter hoc quod est Deus. Sed ex hoc quod est Deus, est aliquid. Ergo est aliquid & aliquid; & sic idem quod prius.

7. Præterea. Christus non est tantum homo. Sed homo prædicat aliquid unum de ipso. Ergo Christus non est tantum unum aliquid: ergo est duo.

Sed contra. Quidquid est, ideo est, quia unum numero est. Si ergo Christus non est unum; nihil est; quod falsum est.

Præterea. Major est convenientia naturæ humanæ in Christo ad naturam divinam, quam accidentis ad subiectum. Sed accidens cum subiecto non facit nu-

In III. Sent. Tom. III.

Ex Edit. P. NICOL. (a) Vel juxta usitatum inscriptionem Lib. I. de summo bono, vel Sententiarum cap. XVI. ubi paullo alius verbis ait: *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, nequaquam alter in humanitate, alter in deitate est, sed in utraque natura idem unus est;* & sumitur ex Gregorio Lib. XVIII. Moral. cap. XXXVI. vel in aliis exemplaribus cap. XXVII. versus finem.

merum. Ergo nec ratione humanæ naturæ, & divinæ dicitur Christus esse duo.

Præterea. Ea quæ non sunt unum, non possunt de se invicem prædicari. Sed Deus prædicatur de homine Christo, & è converso. Ergo Christus est unum.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod neutrum genus est informe, & indistinctum; masculinum vero est formatum, & determinatum: unde masculinum non prædicatur absolute nisi de re perfecta subsistente; neutrum vero genus de re perfecta subsistente, & de non perfecta: unde non potest dici, quod albedo, vel humanitas Petri est aliquid, sed quod est aliquid; de Petro autem possumus dicere, quod est aliquid, & quod est aliquid. Similiter in Christo de persona potest dici quod est aliquid, & est aliquid; de natura autem quod est aliquid, & non quod est aliquid. Secundum igitur secundam opinionem, de qua agitur, illud aliquid quod est natura assumptæ, non prædicatur de Christo: quia non habet rationem hominis, sed humanitatis. Aliquid ergo, secundum quod prædicatur de Christo, non significat tantum naturam, sed suppositum naturæ: & quia plurale est geminatum singulare, ideo Christus non posset dici aliqua, nisi essent in eo duo supposita naturarum; quod negat secunda opinio, & similiter tertias: & ideo utraque opinio dicit, quod Christus est unum; sed secunda dicit, quod est unum per se, tertia vero, quod est unum per accidens, sicut albus homo. Sed prima opinio dicit, quod assumptum non tantum habet rationem humanitatis, sed etiam hominis; & tamen non potest dici aliquid, quia est alteri digniori adjunctum; sed dicitur aliquid, & illud aliquid prædicatur de persona assumptæ: & ideo sequitur quod Christus sit aliquid, scilicet assumptus, & aliquid, scilicet assumptum; & quod sit duo neutraliter, sed non masculine.

Ad primum ergo dicendum, quod aliud partitivum est: unde requiritur aliquid à quo dividatur. Cum autem dicitur, *Christus est aliquid, & aliud, cum aliud non prædicet naturam tantum, sed suppositum naturæ* (quia humana natura de Christo non prædicatur) requiritur quod sit ibi aliquid distinctum, vel divisum à supposito humanæ naturæ, quod de Christo prædicatur. Hoc autem non potest esse secundum secundam opinionem: quia suppositum divinæ naturæ non est aliud à supposito humanæ naturæ; nec divina natura, quæ de Christo prædicatur, est aliud à supposito ejus, nec per consequens à supposito humanæ naturæ. Unde secundum hanc opinionem Christus non dicitur proprie aliud & aliud; sed exponendum est alterius & alterius naturæ. Prima vero opinio, quæ distinguit supposita naturarum, potest dicere, quod Christus est aliud & aliud.

Ad secundum dicendum, quod termini numerales (ut in I. dictum est) se habent communiter ad personam, & naturam: unde loquendo de unitate personali, est tantum una in Christo; secundum quam dicitur unus Christus; loquendo autem de unitate naturali, est duplex unitas. Non tamen se-